

tradas, quantum iter usque ad Carlsroniam prosequendum exigere Tibi videtur, neque hoc citius, nisi cum is ultimum vale dicturus est. Post abitum ejus debita ejus, quantum transmissa summa pecuniæ sufficit, benevole creditoribus exsolvas, testificationes solutæ pecuniæ recipias, nobisque cum specificatione residui æris alieni transmittas, qua accepta hoc residuum Tibi sine ulla mora transmittendum curabimus, de qua re in meam fidem poteris esse certissimus, licet cæterokin litterati inter se non soleant eam fidem, quæ inter mercatores obtinet, in rebus ad pecuniam spectantibus, habere.

En specificationem æris alieni, quam noster nobiscum communicavit!

Hrn. Peter Christoph. Schultze in Stockholm 900 rl. R. M.

Hrn. de Besche 600 —

Hrn. Mangor 600 —

pro Cibo 200 —

Honoraria

Hrn. Ritter Linnæo circa 300 —

Hrn. Prof. Wallerio circa 300 —

Num vero pecunia a primo nominatis creditoribus tanta sit mutua accepta, quanta ea traditur, vix credimus. Rogamus Te adeoque, ut e. g. ex Dm. Mangor, qui circa Te quotidie versatur, sine fratris mei præscientia, statum huius rei scisciteris, et ad ejus relationem examen Tuum accomodes.

Agnosco quidem, nos Tibi hoc negotio, præterea gravius occupato, novum onus imponere. Cum vero nemo Upsaliæ nobis præterea sit notus, qui illud in se suscipere posset, Tua, qua auditores Tuos prosequi soles, paterna affectio unicum nobis relictum est refugium.

De Troglodytibus Javanensibus curam habiturus sum ut noster medicus Trankenbaricus, D. Flohr, auditor olim meus, ad nutum Tuum examen huius speciei apud Javanenses, eò non raro venientes, instituat; sed dubito aliquid certi satis inde colligendum fore.

Ardor noster pristinus in historia naturali excolenda maximam partem refrigeratus est. Hoc semestri primum destiti in illa publice prælegenda & præter pauculas prælec-